



CLARISSIMO, CONSUL-
TISSIMOQUE VIRO, DN. GA-
BRIELI RASORI, V. I. D. ET REIPVBL.
Francofurtensis syndico, suo patrono & ami-
co. S. P.

Vstrum est, Vir Clarissime ac Consultissime, quo primus
Operaluridica Dn. Ioannis Gutierrez ex Hispania ad me
perlata publici iuris feci; maximo quidem omnium cum
applausu; at inuita tamen Minerva, reluctante nimirum
nobis Mercurio. In medio enim currentium prelorum cur-
su, naufragium patimur, Vulcani scintillis aliquot ternio-
nibus perustis, itaque coacti sumus totum consiliorum vo-
lumen ab opere separare, eiusque editionem in id tempus
differre, quo perustorum ternionum participes iterum facti fuerimus. Quos
cum nuper ex Hispania acceperimus, omnino necessitas efflagitabat, ut pre-
fatum Opus completeretur, omnibusque numeris perficeretur. Quod dum
molimur, utique dispiciendum de quo operis patrono accensore. Inter
quos vero, Vir Clarissime ac Consultissime, primus ante omnes, occurris,
qui opus prelibatum examinare, iudicare, censere, ac patrocinio tutelari
defendere valeas: Quod ut facias gnauiter, prestes grauius, etiam atque etiam
oro. Vale. Dabatur Francofurt. Cal. Maij 1611.

Exc. T.

Totus,

Zacharias Palthenius D.



CLARISSIMO AC
REVERENDISSIMO D. PETRO

PORTOCARRERO A CONSILII PHILIPPI
II. Regum Potentissimi, Episcopo Cordubensi Ioannes
Gutierrez Canonicus Doctoralis Almæ Ecclesiæ
Ciuitatenf. S. P. D.



Quamuis magno Principi magna dicanda sint opera, ac proinde tibi hoc vel ipso iure postulâre deberetur, qui ex Illustrissimorum virorum Hispaniæ antiqua familia originem ducis, generosissimo animo atque ad gubernandam totam Europam aptissimo es praditus, moribus clarissimis ac vitæ sanctitate polles, in clyto ingenio, vtriusque iuris scientia, nec non diuinarum ac humanarum literarum cognitione clares, animi modestia ac rectitudine alios superas, ceterarumque virtutum cumulo gaudes, ita ut merito Rex noster Catholicus ac simul prudentissimus te vnum ex plurimis tot Regis muneribus honorauerit, utpote omnibus opportunum atque necessarium, ac ut spero maioribus his quam cito collocaturus: cum tamen ab antiquo indiesq; magis pro tua illustri erga me beneuolentia ac plurimis in me collatis beneficiis tibi addictus atque obnoxius sim, et potius animum offerentis quam rei oblata conditione respicis pro tua singulari humanitate, qua omnes tuos prosequi soles, non sum veritus hac pauca nostra consilia tibi tuoque nomini dicare in pignus minime tamen condignum, ac recognitionem obsequii a me tibi debiti ac in posterum prestandi: Accipe igitur Illustrissime Mecenas tui alumni parua munuscula, ea que tuo splendore magnificaturus auidacia mea parce. Vale, Ciuitatenf. 4. die Octobr. Anno 1586.

DN.



DN. IOANNIS
GVTIERREZ, IURISCONSULTI
HISPANI PRÆCLARISSIMI, CANONICI
DOCTORALIS ALMÆ ECCLESIAE
CIVITATENSIS,

Consilium Primum.

SVMARIA.

- 1 Testator fundas Capellaniam vel Ecclesiam, potest apponere tempore fundationis quæcunque pacta & conditiones voluerit, & seruanda sunt.
- 2 Testator fundans capellaniam potest eam facere sacerdotalem.
- 3 Sententia super causa filiationis, et sic super consanguinitate habita cum legitimo contradiatore, nocet & prodest, etiam omnibus non citatis.
- 4 Quibus casibus nocet vel prodest sententia inter alios lata, in eisdem nocent & profunt probationes & alia acta casus: & e contra.
- 5 Probatio de auditu non probat nec facit fidem, nisi in factis antiquis: et quod dicatur factum antiquum.
- 6 Adulterinus non gaudet nobilitate patris.
- 7 Nobilis eo, quod sit rusticus, et laborans propriis manibus in propriis possessionibus, non amittit nobilitatem.
- 8 Vbiunque non conueniunt verba legis vel testatoris, nec ipsius dispositio locum habet.
- 9 Verba testamenti sunt subtiliter consideranda.
- 10 Idoneus dicitur, qui potest seruire capellaniam, ad quam nominatur vel prouidetur.
- 11 Testator si in fundatione dicat, quod presentandus sit sacerdos aut Presbyter, vel quod presentetur capellanus, qui celebret Missas, requiritur, quod presentandus sit sacerdos tempore presentationis.
- 12 Cap. licet canon, de election. lib. 6. precipiens sufficere, ut promissus de beneficio ordinetur intra annum, procedit in illis prebendis & sacerdotiis, qua licet habeant annexum ordinem, illud tamen est respectu aptitudinis: secus vero erit in illis, qua requirunt certum ordinem respectu actus ex l. fundationis, quia hoc casu requiritur, quod promouendus tempore promotionis habeat illum ordinem annexum beneficio.
- 13 Quotiescunque ex fundatione, statuto vel consuetudine beneficium aliquod non potest dari, nisi habeat sacrum ordinem vel sacerdotium, non potest prouideri alteri, quam habenti illum ordinem, vel sacerdotium.
- 14 Qualitas adiuncta verbo, debet regulari secundum tempus verbi.
- 15 Qualitas requisita ad admittendum, vel excludendum aliquem in beneficio vel dignitate, debet adesse tempore promotionis, vel exclusionis, nec sufficit, quod ex post facto interueniat.
- 16 Lex quando vnum disponit, et alterum præsupponit ad hoc, ut locum habeat dispositum, debet prius verificari præsuppositum.
- 17 Eligendus virtute vltima voluntatis ad aliquod officium, requirens certam qualitatem, ea debet esse tempore electionis, nec sufficit, quod adsit tempore administrationis.
- 18 Legatarius volens consequi relictum alicui tanquam Sacerdoti, debet probare se esse Sacerdotem, ad hoc, ut legatum consequatur, si causa illa fuit adiecta per modum cause finalis.
- 19 Episcopus cum consensu patroni potest dispensare pro vna vice cum presentato alterando qualitates a testatore requisitas, veluti circa Sacerdotium.
- 20 Vnio Capelle fieri non potest, etiam cum consensu patroni per Episcopum, nisi causa sufficiens adsit.
- 21 Testator si Capellam adficari in loco mandauit, si fieri potest, non debet locus mutari.
- 22 Episcopus regulariter sine causa dispensare non potest.
- 23 Episcopus sine causa, etiam cum consensu patroni, non potest tollere nec mutare conditiones viles ecclesie appostas in ipsius fundatione.
- 24 Oppositione facta alicui Capellam acquiritur ius oppositi.
- 25 Lite pendente super aliquo beneficio, illud beneficium vniui non debet alteri, quod habet vnus ex litigantibus qui unionem petit.
- 26 Episcopus dispensare non potest, nisi in casibus a iure expressis.
- 27 Patronus ideo dicitur, quia sicut pater ducit filium de non esse ad esse, ita patronus ducit Ecclesiam de non esse ad esse.
- 28 Episcopus cum consensu veri patroni, id est, fundatoris, potest alterare qualitates per ipsum primum repositas.
- 29 Voluntas testatoris mandatum dicitur.
- 30 Mandatum non potest etiam in melius reformari per mandatarium.
- 31 Superior aliquem instituit iure deuoluto ob negligentiam patroni, debet idoneum instituire, secundum voluntatem testatoris, eam seruando, non vero dispensando.
- 32 Heres, vel successor fundatoris, hoc est, veri patroni non possit consentire, ut Episcopus alterare possit dispensando pro vna vice voluntatem testatoris, ut Capellania non Presbytero conferatur.
- 33 Requiritur tamen aliqua causa ad hoc, ut consensu heredis vel successoris sufficiat.
- 34 Capellania iuris patronatus non possit serui per substitutionem.